Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26113
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Myst. Mane sexti diei predicatio evangelii per Christum. Finito quinto incipit sextus in quo veteris hominis apparet senectus. Hac enim etate vehementer attritum est illud regnum quando templum deiectum et sacrificia cessaverunt et nunc gens illa quantum ad vires regni quasi extremam vitam trahit. In hac tamen etate tamquam in veteris hominis senectute nascitur homo novus qui spiritualiter vivit. Sexto enim die dictum est. Producat terra animam viventem. Et cetera quia in quinto die dictum erat producant aque non animam vivam sed reptilia animarum vivarum. Quoniam enim corpora sunt reptilia sic corporali circumcisione et sacrificiis tamquam in mari gentium populus ille serviebat. Ista vero anima viva dicitur quia vita iam incipiunt eternam desiderari. Serpentes quoque et pecora que terra producit gentes significant evangelio stabiliter credituras. De quibus Petro dicitur. Macta et manduca. Et cum ille immunda diceret audivit. Que deus mundavit tu immunda ne dixeris. Et fit homo ad imaginem et similitudinem dei. Sicut in sexta etate nascitur Christus de quo dicitur. Et homo est et quis cognoscet eum? Et sicut in illa die masculus et femina: sic in ista etate Christus et ecclesia. In illa die preponitur homo pecoribus serpentibus et volatilibus celi. Et in hac etate Christus regit animas obtemperantes sibi que partim de gentibus partim de iudeis venerunt ut ab eo domiti mansuescerent carnali scilicet concupiscentie dediti sicut pecora. Vel tenebrosa curiositate obtenebrati quasi serpentes. Vel superbia elati quasi aves. In illa die pascitur homo et animalia que cum ipso sunt herbis seminalibus lignis fructiferis et viridibus lignis. In ista quoque etate spiritualis homo quicumque bonus minister est Christi et eum pro posse imitatur cum ipso populo spiritualiter pascitur scripturarum alimentis et divine legis partim ad concipiendam fecunditatem rationum atque sermonum tamquam herbis seminalibus: partim ad utilitatem morum et humane conversationis tamquam lignis fructiferis. Partim ad vigorem fidei spei et caritatis in vitam eternam tamquam herbis viridibus: id est vigentibus que nullo estu tribulationum arescunt. Sed spiritualis sic pascitur ut multa intelligat. Carnalis autem id est parvulus in Christo tamquam pecus dei ut credat et si non intelligat. Eosdem tamen cibos omnes habent. Huius etatis vespera est de qua dominus dicit. Putas veniens filius hominis inveniet fidem super terram? Post illam vesperam fiet mane cum Christus veniet in claritate. Tunc requiescent cum Christo ab omnibus operibus hi quibus dicitur. Estote perfecti sicut pater vester qui in celis est. Hi enim faciunt opera bona valde. Post que requiescent in die septimo qui vesperam non habet.

Non dicitur quoniam fecit deus celum et terram sed hec expositio per ordinem dierum indicat tamquam historiam rerum factarum. Sed maxime observat predicationem futurorum. Sicut enim monet quod in etatibus seculi duo prime denis generationibus. Quarta ... sexta non generatione numero definitur. Facile est videre et in uno quoque homine infantiam et pueritiam quinque sensibus corporis inherere. Quinarii autem duplicatur quia duplex est sexus humanus unde tales generationes fiunt denarium faciunt. Ab adolescentia vero que tertia incipit operatione in homine accedit quinque sensibus cognitio et ratio quibus vita regitur et administratur ut sit iam septenarius qui duplicatur propter duplicem sexum. Quattuordecim generationibus enumeratur. Quas habent tres etates adolescentis scilicet iuvenis et senioris. Senectus vero nullo termino annorum finitur sed post illas quinque etates quantum quisque vixerit senectuti deputatur. In hac quoque etate seculi non apparent generationes ut in occulto sit ultimus dies quem dominus utiliter latere monstravit.

Et factum est vespere et mane (sexta distinctio) dies sextus. Igitur (perfectione senarii) (causaliter et potentialiter quorum initio perfecti et defecti tempus per visibilia explicari caret.) perfecti sunt celi (Sex diebus perfecta est rerum conditio.) et terra et omnis (sex etatibus perficitur hominum reparatio.) ornatus eorum. (explicantur tres sequentes singulis ...)

Mor. Sexto die producit terra animam vivam id est de stabilitate sue mentis vivos habet fructus spirituales id est bonas cogitationes omnes motus animi sui regit ut sit in illo anima viva id est rationi et iusticie serviens non temeritati et peccato. Ita fit homo ad imaginem et similitudinem dei masculus et femina id est intellectus et agnitio quorum copulatione spiritualis fetus terram impleat id est carnem subiciat et cetera que iam in homine perfecto dicta sunt. In istis tamquam diebus vespera est ipsa perfectio singulorum operum et mane inchoatio sequentium.

Et perfecti sunt et cetera. Post sex dierum opera bona valde. Spes hominis requiem perpetuam et intelligat quid sit requievit deus die septimo ab operibus suis quia post hec in nobis bona operatur quibus iubet nos operemur et recte requiescere dicitur quia post hec omnia opera requiem nobis prestabit. Quoniam paterfamilias domum edificat cum servientibus facere imperat et post ab operibus requiescere cum perfecta fabrica iubet requiescere et cetera.